

pondit : Considera, quasso, frater, si parum dedero, non est, quo opus habes : si multum dedero, defraudabo multos, ut uni satisfaciam : et propterea quidquid illud est, quod est, ad cibos pauperum potius, quam ad intortos crines, aut margaritas comparandas traditum est. Igitur ignosce, si dare non possum. FER. JUST., in *ejus Vita*.

S. Olympias vidua et diaconissa Constantinopoli, cum facultates suas ingentes petentibus, prout sors tulit, distribuere, S. Chrysostomus intentionem quidem laudavit, sed alium modum tenendum esse eidem dixit, eo quod eas pecunias per propositum pauperibus dandi, ipsi Deo donarit, atque adeo non jam juxta suam, sed Dei voluntatem distribuere debeat, quæ est, ut liberalitatem suam potentium indigentia metiatur. Ex quo tempore in solam Sanctorum curam opes suas impendere constituit, et virtutis amatores liberali manu prosecuta est. NICEPH., l. XIII, *Hist. Eccl.*, c. XXIV.

Misericordia in specie.

ESURIENTES PASCENS. — S. Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, et consolabatur eos, dividebatque unicuique, prout poterat de facultatibus suis : esurientes alebat. TOB., l.

Clemens VIII præter tredecim pauperes jam prius in aula pontificia ali solitos, aliam mensam pauperibus peregrinis juxta se parari voluit, quibus optima quæque fercula ex sua mensa submittebat, vilioribus sibi retentis. BARON., t. IV, anno 367.

Ludovicus IX Galliarum rex quotidie centum et viginti pauperes mensa regia refecit, quocumque terrarum abiisset. DREX., *Gazoph.*, p. II, c. IV, § 2.

Carolus Flandriæ Comes tempore famis gravissimæ in Gallia exortæ quotidie cubitet petenti panem integrum dari præcepit. DAUBOULT., p. IV, c. VII.

Quadam die cum Jodocus Britonum regis filius ad victum quotidianum non haberet, nisi panem modicum pro se, et discipulo suo Vulmaro, et Dominus in specie pauperis adveniret, eleemosynam petens, vir Domini panem dividi jussit in quadrantes, et petenti de quadrantibus unum erogari. Jam vir egressus erat, et ecce revertitur Dominus in forma egeni deficientis inedia, et de secundo panis quadrante satisfactum est ejus peti-

fioni : nec mora, regressus tertio, quasi esuriens ac deficiens fame, donatus est tertio panis parte, consequenter visus est advenire Dominus in altera inopis effigie, rogaturus eleemosynam, sicut jam tertio fecerat ante, nec erat, unde reficeretur, nisi de residuo panis quadrante. Eum quoque vir Domini Jodocus pauperi erogari jussit, cui ait Vulmarus : Nihil nobis vis reservare, Pater ? volo, inquit vir sanctus, totum tibi esurienti, quia potens est Dominus nostræ providere necessitati. Quæ misericordia profecto exemplo caret. Etenim verum quidem est, quod, sicut a principio in assumpto themate dicitur : Deus præcepit : « Frange esurienti panem tuum, » id est, panem tuum cum paupere divide, non tamen præcipit, ut totus illis panis detur, quia charitas incipit a semetipso ; tamen sanctus hic vir postulatus omnes quatuor panis quadrantes pauperissimo ipsimet Christo dedit, indeque copiosam remunerationem retulit, vix enim recesserat Dominus, et interim dum consolaretur verus Dei amicus discipulum de panis erogatione commotum, ecce per fenestram visæ sunt, et inventæ in alveo fluminis quatuor naviculae victualibus onstæ, de quibus vix eas adduxerit, vel quo jam victualibus exoneratas revexerit, nescitur usque in hodiernum diem. SURIUS, tom. VI, in *Vita*, c. IV.

Gerardus certe de Farvaldo ex Ravennæ urbis primoribus fuit, quem grandævæ jam et persenilis ætatis olim puerulus sibi, de quo nimirum referri frequenter audivi, quia cum aliquando populus inopia laboraret, adeo ut nonnullos etiam valida fames extingueret, ille cum successura sibi nepotum quoque jam soboles non deesset, accessit frugibus etiam prædia nonnulla distraxit : alimenta, quæ potuit, indigentibus erogavit ; ipse quoque patentibus foribus pauperum vallatus agmine comedeat, cibisque consumptis adhuc esuriens, cum vel sibi, vel illis quid adderet, non haberet, eorumque compassionem lærymans flebat ; cujus horumque progenies divitibus floret, et plura quam avita fuerint, patrimonia possidet. S. PET. DAM., op. 9.

S. Exuperius Tolosæ Episcopus viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, ore pallente jejuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam visceribus Christi erogavit. Nihil illo ditius, qui Christi corpus canistro vimineo, sanguinem portat in vitro, S. HIER., in *ep. ad Rust.*

In vita S. Philippi Nerii legitur, quod cum anno 1551 in quo extrema fames fuit, ad eum panes aliquot missi fuissent, ipse sciens pauperem quemdam sacerdotem alienigenam, qui in S. Hieronymo commorabatur, in famis angustiis constitutum esse, omnem hunc panem ei dederit, ipse vero pauculis olivis contentus vixerit. Rescians vero idipsum quidam suorum pœnitentium eum interrogavit, cur saltem ad minus panis illius medietatem sibi non reservasset ; respondit se, utpote Romæ omnibus notum faciles reperit esse eleemosynarum suppetias, quales peregrinus ille sacerdos nequam habiturus esset. VITA, l. II, c. XII, n. 3.

STIENTES POTANS. — In vita S. Lydwina refert Laurentius Surius, quod, dum mulier quædam morbo caduco obnoxia, in publicis plateis frequenter tanquam mortua laberetur, die quadam acciderit, quod hæc deliqua patiens in domum S. hujus Virginis deportata, potum sibi dari petierit. Lydwina autem immemor vini, quod domi licet in modica quantitate habebat, aquam illi dari jussit, quam in vase quodam conservabat ; hanc autem tametsi totaliter epotasset, sitim tamen suam restinguere nequivit, quin potius eadem in faucibus persensit, unde denuo potum sibi dari poposcit ; sancta autem Virgo vini, quod habebat, memor facta, illud ei propinari fecit, quo exhausto, nec tamen siti extincta, potum sibi identidem dari petiit ; cumque nihil potabile presto esset, pro comparando vino eleemosynam ei largita est, sique eandem a se dimisit. Sed audite, quid Surius in eadem historia subjungat : deinde febribus Lydwina corripientibus, orat patrem, ut paucillum vini porrigat, quo labia arentia tingantur, non enim memini tunc, feminam morbidam vinum omne epotasse : porrigit pater poculum filia, unde illa mulier biberat, et ecce plenum est optimo vino, divinitus in illud infuso. Stupet virgo, nullum se vinum bibisse melius sentiens, nec tamen patri indicat, unde sit, licet et ille stupens admiraretur, neque colorem, neque saporem ejus unquam perire. SURIUS, in *Vita*, t. VII, 14 apr.

Auctor catechismi exemplorum ex B. Petro Damiano aliud quoddam refert, priori non inferius miraculum. Cum enim Episcopus quidam sitim patiens pincernæ suo, ut potum sibi daret, præcepisset, hic vas quoddam, in quo vinum sufficiens fuerat, totaliter evacuavit : adeo ut præter unicum vini scyphum in illo nil superesset : in ipso vero actu, quo vinum hoc ori admovit, superveniens pauper quidam, qui se præ sitim mori dicens, potum sibi dari posebat : unde pietissimus Prælatum hoc se vino privans, pauperi illud dari jussit, tametsi a pincerna suo in vase vini nihil amplius superesse intellexisset. In his ergo fortis Episcopus angustiis deprehensus, cum et hinc vim sitis sustineri non posset, illic autem alio periclitante, se bibere impium judicans avertit se a se, fratrique laboranti in necessitate succurrit. Præcepit ergo, pauperi vinum dari, sed jam quo spes bibendi defecerat omnino, eo sitis Episcopi atrociter sæverat, mandavit ministro, ut vinarium vas requireret, si forte aliquam consolationis stillam vel perexiguam reperiret, qui diutius abnegans, nihilque se reservasse constanter affirmans, tandem non spe erectus, sed imperio magis oppressus, paruit, et vas, quod vacuum reliquerat, plenum vino nimium admiratus invenit. MANSI, d. XXII, n. 4.

Refert Baronius, alique auctores indubitato testimonio historiam confirmant, quod Leoni Majorano primo hujus nominis prognosticata fuerit ejus ad imperium assumptio, idque ob merita subsidii, quod caeco cuidam sitibundo in vasta silva obrantanti contulit, tum eidem in extrema siti potum ministrando, tum pariter ex magna compassione eumdem instar viæ ducis in rectam viam deducendo : idem quoque Leo vocem quandam a celo delapsam audivit, quæ imperialem dignitatem primo quoque ei tempore adventuram certo denuntiavit, ita inquiens : Leo Imperator, densum hunc et umbrosam locum ingressus turbidam aquam hauri, eaque sitim hominis ægri refice, et limum coenosum manibus cape, quo caeco oculos inungas. BARONIUS, *ann.* 457, n. 6.

Leo primus quia potum caeco sitienti, cui ducem se itineris obtulerat, procurarat, et a B. Virgine caeco oculos caeci oblinire jussus parauerat, et visum caeco illico restituit, et predicationem de Imperii regimine sibi credendo audire meruit. BARONIUS, *ad ann.* 457.

Episcopus quidam dum gravi siti vexatus omne, quod in dolio superfuera, exhaustum vinum jam jamque ori admovent, nec aliud eo in loco reperire posset, pauper subi-

to interveniens, nimiaque ariditate vexatus, sibi vinum hoc dari petiit, quod quia obtulit Episcopus genium suum defraudans, famulus ad dolium exhaustum redire jussus, optimo vino repletum invenit. DAUROLE, p. IV, c. vii, tit. VI, n. 5.

NUDOS VESTIENS. — S. Martinus adhuc Catechumenus, quia mediam vestem gladio abscissam pauperi dedit, in eadem paulo post Christum videre, dicentem : Martinus Catechumenus hac veste me vestivit, audire meruit. SULETT., in *Vit.*, c. ii.

S. Catharina Senensiseum quondam Christum in forma juvenis peregrini illi apparuisse, vestemque petisset, tunicam non manicatam interioriorem, quam propter frigus induerat, exens porrexit, nesciens esse Christum. Sequenti autem nocte Christum ei apparens in illa tunica gemmis conspicua promisit se vestem et invisibilem, qua omne frigus arceretur, daturum, quod et factum; ex eo quippe tempore nullum amplius frigus sensit.

Theobaldus Comes Carnotensis cum in summo frigore nudum pauperem obvium habuisset, et hic cappam prius, postea reliquam etiam vestem petiisset, usque ad indusium se exuens dabat. Cum vero is etiam pileolum, quo calvum caput tegebat Theobaldus, peteret, hic per calvitiam quidem se excusavit, sed quia rejecta hac petitione pauper relictis vestibus evanuit, Christum fuisse colligens, doluit et pileolum illum non se obtulisse. THOM. CANTIPR., l. II *Apam*, c. xxiv, p. 14.

Memorable est, quod de S. Liberali nobili Altinate, et Tarvisii Protectore legimus, cum in aegros, et pauperes mire fuisse liberalem, eum ideoque multos a variis morbis curasse, adeoque una die centum viginti personis sanitatem divina virtute impertivisse. Cum vero hyemis tempore ad Ecclesiam cathedralem pergeret, pauperi nudo, et frigore trementi obvio, sibi vestem detractam tradidit, qui illi sequenti nocte apparens, Christum se esse dixit, et vestem restituit, quam ille induens, a periculis non semel servatus est. CORNEL. A LAPIDE, in c. XII *Prov.*

S. Franciscus cum vestem novam, quam pro se paraverat, pauperi militi induisset, nocte sequenti vidit Dominum vestibus illis indutum, et palatium speciosum, et magnum cum armis militaribus insignitum, cumque inquireret, cujus esset palatium, et

quid significarent arma, et cujus essent, responsum fuit, quod S. Francisci. BELLOV., l. III, d. 21.

Dominia Alcidis Carnotensium ac Blesensium Comitissa mihi de avo suo retulit, dicens : Nobilissimus ac potentissimus in Baronibus Galliae Comes Carnotensium ac Blesensium pariter Theobaldus, liberalissimus omnium suo tempore extitit in donando. Iste hymene media, quae tunc solito magis inhorrui, per viam cum multitudine transiens, obvium habuit pauperem nudum, quo clamante, respondit : Comes, quid petis? cui pauper : Da inquit, cappam, quam habes indutam, nec mora. Comes extractam pauperi dedit, dicens : Si quid vis amplius, petas; et pauper : Da mihi superfluitate, quod habes; quo statim habito, petivit tunicam, quam ut Comes dedit, remansit in linteis : cui pauper : Vides, inquit, o Comes, quod caput rasum habeam, et nudum; da igitur et pileum : tunc Comes paululum erubescens, calvus enim erat : Nunc, inquit, charissime, nimium insistis, quia hoc ipse carere non possum : quo dicto, relictis vestibus, pauper evanuit; Comes vero de equo cadens, planctum lamentabilem fecit, et omni tempore postea tale quid cavens, Omnipotentem se tribuit. TH. CANTIPR., l. II, c. xxv, § 14.

Nudum, quem forte offenderat, pauperem indumento juvare ex Evangelica doctrina volebat Joannes a S. Facundo, Ordinis Eremitarum, cum illa inecessit dubitatio, quam ex duabus, quas domi habebat, tunicas, indueret, altera cinerei coloris erat obsoletior, caerulei altera elegantior, festis diebus destinata; expedita fuit consultatio misericordiae : meliorem dedit, ut optime daret. Non tulit proximam noctem infruigeram illi abire magnus ille misericordiae Parens Deus, sed tanta divina voluptatis ubertate homini affuit, ut vere festam memorabili per omnem deinceps aetatem eventum illam egerit. RHO., l. I, c. vii, n. 3.

CAPTIVOS REDIMENS. — In vita B. Petri Nolasci, quanti meriti, quamque Deo accepta sit haec misericordia, et charitas, liberare mancipia, manifeste deducitur. Deipara enim auspiciis, adeoque monitu, institutus est coetus, qui in id incumberet, ut corrugata undique stipe, Christianos, qui apud Mauros in Hispania, et Africa acerbissimam serviebant servitutem, redimerent. Ipsa virgo hujus divini consilii administratos legit,

mystico seorsim quemque somnio eodem tempore admonitum Jacobum Regem Arragoniae, Ballarium, Valentiaeque expugnatorem, Raymundum a Pennafort ex Ordine Prædicatorum, et Petrum Nolascum. BORDLAND., in *Vita*.

Victor Uticensis de quodam Episcopo ita scribit : Deo gratias, Archiepiscopus Carthaginensis vasa sacra vendidit, ut Christianos a Wandalis captos redimeret. VICTOR URIC., l. I, *Hist.*

S. Paulinus cum vidua eleemosynam pro filio redimendo petente nihil haberet aliud, quod daret, quam seipsum, se prompte obtulisset, venditusque ab ea Regi Wandalarum, hortulanum indurium sat longo tempore egisset, tandem prodere se coactus, et ipse libertatem obtinuit, et omnes reliquos suae urbis conceptivos secum abducere permissus est. S. GREGOR., l. III *Dial.*, c. i.

S. Sanctulus quia, ut Diaconum captivum liberaret, seipsum obsidium dederat, eo fugiente, jam ad mortem capite plectendus ducebatur a Longobardis : sed quia canifex brachium, quod ad feriendum extendere, demittere amplius non potuit, ab iisdem liber dimissus est. S. GREG., l. III *Dial.*, c. xxxvii.

Acacius Episcopus Amidensis cum septem millia Persarum a Romanis in captivitate abducta intellexisset, neque pecunia ad tantam multitudinem redimendam suppeteret, vasa et ornamenta Ecclesiae vendidit, pretioque redemptos captivos, et epulis prius, viaticoque refertos ad Regem suum misit. NICEPH., l. XIV, *Hist. Ecclesiast.*, c. xxxi.

INFIRMOS VISITANS. — Apollonius cum ob aetatem nec litteras, nec aliam artem discere posset, suis pecuniis et laboribus tum medicamentis, tum alia ad refocillationem agrorum pertinentia emebat, eaque ad vicina monasteria deferabat, atque in hoc exercitio ad finem usque vitae perduravit. NICEPH., l. XI, c. xxxv.

S. Bernardus cum anno 1400, pestis generalis grassaretur, multique infirmi, et peregrini ad Senense hospitale confugerent, assumptis secum duodecim juvenibus consilio suo persuasis, summa cum charitate agris inserviebat ipse diu, nocteque illis adstabat, cibos et pharmaca parabat, et ministrabat, sordes efferebat, lectos sternabat, cum illis plorabat, ridebat, canebat, blan-

diebatur, Sacramentis ultimis muniebat, sepeliebat; quo factum, ut Deus et sanitatem illis illesam, ut pluribus servire posset, custodierit, et singularibus cum gratiis, favoribusque praemiarit. SUR., tom. III, 20 maii.

S. Radegundis Regina leprosas mulieres non modo mense adhibuit, sed etiam osculabatur, abnebat, ungebat ulcera, et recedentibus auri vel vestimentis donaria offerebat. SUR., tom. IV, 13 aug.

S. Catharina Senensis feminae cancro laboranti, cui ob fetorem intolerabilem nemo servire volebat, summa cum charitate inservit, et cum quondam horrorem sentiret, ad hunc et seipsum, ac diabolum vincendos, os et nares horrendo et fetenti vulnere immerisit. INN., tom. II, 29 april.

In Salisburgensi Ecclesia jam a multo tempore religiosi extiterunt Episcopi, ex quibus unus infirmorum, seu leprosozum lares studiose etiam quandoque per semetipsum visitavit. Die quodam turgurium quoddam intrans, et leprosum, ut ei visum est, hominem lecto decubantem ac gementem reperiens, si aliquid vellet, exquisivit. Cui cum ille responderet : Corpus Christi desidero, Episcopus festinus abiit, et attulit, orique leprosi, qui valde horridus videbatur, cum cautela, qua potuit, immisit; ille vero ad comprobendam Antistitis fidem, antequam masticasset Eucharistiam, nauseam simlavit, et cum foedissimo vomitu, quod sumpserat, rejecit; Episcopus vero territus, manibus mento ejus suppositis, ejectas recepit immunditias, quas statim in os mittens sumpsit, ob honorem Sacramenti. Postea cum eundem leprosum visitare vellet, et non inveniret, dictum est ei a circumstantibus, quod multo tempore in eadem domuncula nullus habitasset leprosus et cognovit vir Deo plenus, tum ex testimonio referentium, tum ex gratia, ex praedicta sumptione recepta, quia Christus esset, qui multis modis electorum suorum constantiam probare consuevit. CESAR., l. VIII, c. xxxii.

Eo tempore, quo Albigensium haeresis pullulare cepit, contigisse dicitur, quod narro. Erat in regno Francorum Episcopus quidam, aetate juvenis, sed magnae Religionis, nominis, sive diocesis ejus non memini. Ille tanta fuit pietatis, ac misericordiae, ac humilitatis, ut equitans in via neminem leprosozum sibi occurrentium sine

eleemosyna præteriret; sæpe de equo descendit, et petentes præveniens, nummis manibus illorum tamquam Christi gazophylacio immissis, atque deosculatis, itorum ascendit, et processit. Die quadam dum per viam publicam procederet, leprosus quidam secus viam stans in agro, voce raucissima, ut sui miseretur, clamavit, eratque aspectus ejus tam horridus, et quasi a lepra tam corrosus, ut oculus humanus non sine cruciatu illum suspicere posset; quem ut S. Episcopus vidit, misericordia motus, mox de equo ruens, et ad illum currens, obtulit eleemosynam, ad quem leprosus: Non sunt mihi necessari nummi tui; cui cum Episcopus responderet: quid ergo vis ut faciam tibi? ille subjunxit: ut putredinem hujus infirmitatis meæ abstergas, digito ostendens carunculam de naribus pendentem magni fetoris, et horroris, quam cum vir beatus, Christi amore succensus, manu tergeret, clamavit ille dicens: cessa, cessa, asperitatem digitorum tuorum tolerare non valeo; cumque adhiberet partem camisæ suæ, quæ de panno erat satis subtili, simili clamore prohibitus est; tunc Episcopus: si pati non potes manum, si non pannum delicatum, unde vis ut abstergatur? Nihil aliud patiar, reponit alter, præter linctio-nem lingue tue. Mox ad illud verbum laeta non modica oriri cœpit in corde Pontificis inter gratiam, et naturam; illa ut fieret, volente; ista contradicente. Sed gratia Dei cooperante, et naturæ vim faciente, linguam apposuit, et proboscidem elephantinam linxit. Mira res! Mox de naribus ejus, qui leprosus videbatur, gemma pretiosissima lapsa est in os Pontificis, et ut ostenderet se esse Christum, qui ad probandam Episcopi virtutem se fixerat leprosum, in oculis ejus gloriose cœlum ascendit; et quia ejusdem gloriæ particeps futurus esset Episcopus, ascendens repromisit. D. Gerardus Abbas noster, rediens de Capitulo Generali, hæc nobis retulit, asserens, tunc recenter fuisse gesta. *Ibid.*, c. xxxii.

De beata Elisabeth dicitur, Bellovacensi referente, quod cum ipsa esset de genere regio, imo Regis Hungaricæ filia, viro mortuo, relicta pompa sæculi hospitale construxit, ubi pauperes recipiebat, et infirmos omni genere infirmitatis, leprosis, et contractis, quos ancilla et alii abominabantur tangere, et aspicere, pedes et capita abluebat, et vulnere cicatrices et ulcera, et

scabiem, quasi ipsi Christo faceret hæc officia pietatis. *Mansi, dis. iv, n. 2.*

De S. Agnello Abbate et protectore urbis Neapolitanæ, in ejus vita, per Casarem Franciotti descripta, legitur, quod, cum ex accepta post mortem patris sui hereditate, hospitale quoddam juxta Ecclesiam B. Virginis fabricasset, in eoque cæcos, claudos, omnesque alios desolatos benigne exceperet, eosdem in propria persona curaverit, studioseque illis inservierit. Cum vero postea se miraculose liberatam ab obsidione civitatem Neapolitanam, in solitudinem quandam se subduxisset, ut populi effugeret aplansum et venerationem, in eaque septem annis et novem mensibus persētisset, B. Virgo tandem eidem apparuit, eique dixit, quod male fecisset, hospitale a se fabricatum deserendo, siquidem ibidem infirmis serviendo, longe excellentiora sibi comparativa fuisset merita. *Ibid.*, d. xxv, n. 3.

Similiter insignis ille Dei servus Camillus de Lellis, fundator Congregationis ministrantium infirmis, quondam Philippi Neri spiritualis filius, hospitalia auri fodina appellare solitus erat, siquidem in iis homo opulentus evadere, et cœlum lucrari possit. In servitio infirmorum adeo excessivam habebat complacentiam, ut, dum die quadam in civitate Ortana apud Vicarium Generalem loci illius in hospitio esset, eique mensæ accubituro manutergium odoribus fragrans porrectum fuisset, illud veluti nauseam dextre socio suo dedit, qui ei dixit: Si hi boni odores vobis displicent, quid de fetoribus hospitalium futurum erit? Cui Camillus promptè respondit: Non credo in mundo agrum reperiri floribus odoriferis plenum, qui magis me oblectare possit, quam hospitalium fetores. *Ibid.*

In vitis Patrum dicitur, ut Bellovacensis ait: quod, cum quidam solitarius pauper per triginta dies ægrotaret solus, carens humana visitatione, habuit Angelum sibi ministrantem per octo dies; cum autem venissent fratres ad eum, recessit, et clamavit infirmus: Recedite, fratres, quia administrator meus in adventu vestro recessit. *Ibid.*

PEREGRINOS SUSCIPIENS. — S. Gregorius sequentem, quæ suo sæculo contigit, Isauria Provinciam ortus, in vicina factum terra Lycaoniæ solet narrare miraculum: Ait enim, quod in ea quidam Martyrius nomine, vite

valde venerabilis monachus fuit, qui ex suo monasterio visitationis gratia ad aliud monasterium tendebat, cui spiritualis pater præerat. Pergens itaque, leprosum quemdam, quem densis vulneribus elephantines morbus per membra fœderaverat, invenit in via, volentem ad suum hospitium redire, sed præ lassitudine non valentem. In ipso vero itinere se habere perhibebat hospitium, quo idem Martyrius monachus ire festinabat. Vir autem Dei ejusdem leprosi lassitudinis misertus, pallium, quo vestiebatur, in terram profusus projecit, et expandit, ac desuper leprosum posuit, eumque suo pallio undique constrictum, super humerum levavit, secumque revertens detulit; cumque jam monasterii foribus propinquaret, spiritualis pater ejusdem monasterii magnis vocibus clamare cœpit: Currite, januas monasterii citius aperite, quia Martyrius venit Dominum portans: statim vero ut Martyrius ad monasterii aditum pervenit, is qui leprosus esse putabatur, de collo ejus exiliens, et in ea specie apparens, qua recognosci ab hominibus solet Redemptor humani generis, Deus et homo, Christus Jesus, ad cœlum, Martyrio aspiciente, rediit, eoque ascendens dixit: Martyri, tunc non erubuit super terram, ego te non erubescam super cœlos. Qui sanctus vir, mox, ut est monasterium ingressus, ei Pater monasterii dixit: Frater Martyri, ubi est, quem portabas? qui ille respondens dixit: Ego si scivissem, quis esset, pedes illius tenuissem. Tunc idem Martyrius narrabat, quia cum eum portasset, pondus ejus minime sensit. Nec mirum, quomodo enim pondus sentire poterat, qui portantem portabat? qua in re pensandum est nobis, quantum fraterna compassio valeat, quantum nos omnipotentis Deo misericordiæ viscera conjungat. Inde enim ei, qui est super omnia, propinquamus, unde nos per compassionem proximi etiam sub nosmetipsos deponimus. Paulo post vero idem sanctus Doctor, id quod Redemptor noster in judicii finalis examine eventurum esse prædixit, multis in occasionibus diu ante illud tempus exequendo compleri dicit. Ait enim: Ecce Redemptori generis humani ad ædificationem nostram minime sufficit, quod in extremo judicio dicturum se esse perhibuit: Quamdiu fecistis uni, de his fratribus meis minimis, mihi fecistis, nisi et ante judicium hoc in se, quod dixisset, demonstraret, quia

quisquis suam bona opera indigentibus exhibet, ei hæc specialiter impendit, cujus hæc amore exhibuerit. Et tanto plus quisque majorem mercedem recipit, quanto nec eum despiciat, qui amplius despiciendus videtur; quid enim in humana carne sublimius carne Christi, quæ est super Angelos exaltata? Et quid in humana carne abjectius carne leprosi, quæ tumescitibus vulneribus scinditur, et exhalantibus fetoribus impletur? S. Gæg., hom. xxxix in *Evang.*

Idem narrat, quod quidam bonus homo erat, qui libenter recipiebat, et pascebat pauperes, et quadam die venit Dominus ad domum illius in specie peregrini pauperis, quem cum ille recepisset, et vellet dare aquam manibus illius, ut pranderet, verit se, ut acciperet aquam, et Dominus disparuit: Quo facto cum ille stupefactus esset, in sequenti nocte apparuit ei in visu Dominus, dicens: Cateris diebus recipiebas me in membris meis, sed hodie me in persona propria recepisti. Ap. *Mansi, d. iii, n. 3.*

In vitis Patrum legitur, quod quidam senex sanctus in eremo Ægypti habitabat; in eadem eremo erat quidam sacerdos Manichæorum, qui, cum vellet visitare quemdam suæ sectæ, et non invenisset eum, necessitate compulsus, pulsavit ad ostium cellæ senis illius, qui ei aperiens, eum cum hilaritate suscepit, refecit, et lectum ei paravit, licet ejus conditionem bene cognosceret. Manichæus autem tota nocte cogitans de ejus charitate dicebat: Vere servus Dei est iste. In mane autem, ejus provolutus pedibus dedit se conversum, nec ultra voluit ab eo recedere. *In., d. vi, n. 8.*

Cum quadam mulier nobilis consueta esset recipere pauperes, et eis servire propriis manibus, et abluere pedes eorum, invito viro, et inhibente; et invenisset ante domum suam pauperem miserabiliter, ut videbatur, afflictum, et ulcerosum, compassa duxit eum in domum suam, viro suo absente, et cum peteret balneum, paravit ei; post eum diceret, quod non posset quiescere, nisi in molli lecto, posuit eum in camera sua; cum autem vir ejus veniens cameram intrasset, in lecto uxoris invenit dictum infirmum, quem cum crederet adulterum et vellet eum occidere, super lectum apparuit ei Dominus nudus in ea forma, in qua pependit in cruce, dicens: Quid me persequeris, qui pro te hic passus sum? eum autem ad terram prostratus oculos cri-

Primi Patres licet ipsimet in magna egestate constituti essent, tamen Romæ anno 1638, in summa annonæ caritate pauperes e plateis in suam ipsorum domum deportabant, et cibo, igne, veste, lecto juvabant. Sic quadringenti mendicis subvenerunt; omnes tamen prius confiteri debebant. *Hist. soc.*, p. I, l. II, n. 50.

P. Nunnus Riberius tanto in egenos afflictosque Christianos affectu ferebatur, ut cum aliud non haberet, sæpe vestes sibi detraheret, quibus eos seminudos involveret, ipseque, quo se tegeter, non haberet. *Hist. soc.*, p. II, l. IX, n. 123.

P. Hieronymus Natalis, ut pauperibus succurreret, Messanæ anno 1552, communem pietatis acervum (montem pietatis vocant) institui curavit. *Imo.*, l. XII, n. 30.

Alvarus Mendius Magostani in Arabia centum et quinquaginta ex iis, qui ex Armuzia Turcarum metu profugerant, conquisita stipe sustentavit. *In* l. XII, n. 423.

Cum aliquando medicus ter P. Franciscum Lopez stipem rogasset, nihilque haberet, partem de sua toga ascidit, et dedit. Alias cum feminam mortuam nudam reperisset, proprium indusium exiit, eamque texit. Allo tempore pallium suum pauperi dedit, et ipse se ferina pelle texit. *Litæ. Ætiop.*

P. Bernardinum Realinum pauperes ut rerum suarum diligentem procuratorem, tutorem exactum, amantissimum patrem agnoscebant, rem illorum angustam domi dilatabat, ditabatque. Dum fratres misericordiae bis in hebdomade, prandium captivis præbebant, et inserviebant, ipse, ut particeps fieret pii operis, tum in culina ministrabat aquam hauriens, ligna afferens, lanceas extergens. *Vita*, c. xix.

ERGA INFIRMOS. — S. Ignatius erga infirmos tanta ferebatur charitate, ut cum aliquem in morbum incidisse audiret, lotus quodammodo contremisecet: jubebat, ut ipse Rector mox, ubi in morbum quis incidisset, ad se id referret. Oblonatoreum quoque bis quotidie significare jubebat, nam præfecto infirmorum emisisset, quæ petiverat. Quod si pecunia non suppetebat, domesticam suppellectilem vendi jubebat, pluris sibi dicens, unius fratris esse salutem, quam mille thesauros. Cum ipse ægrota-ret, omnibus aliis curis abdicatis curam tamen infirmorum retinebat. Cumque de nocte cuidam sanguis esset missus, ad mul-

tam noctem vigilabat, et bis, terve mittebat, qui, num brachium circumligatum esse commode, exploraret: ne forte soluta vena sanguis efflueret. *LANCIZ. Opusc.* XII, n. 72.

S. Franciscus Xaverius, cum primi Patres Venetiis publica valetudinaria curanda inter se dividerent, ægrorum insauabilium curam sibi deposcit, tantaque cura, ac charitate gessit, ut pietas ejus ex vultu, et oculis eluceret, multique ad novæ rei famam concurrerent. Ægrum nactus venerea lue infectum hoc impensius curabat, quo magis ab illo animus natura ususque delicatus abhorrebat: quinimo ad vincendum hunc horrorem sanguinem ex ulcere hauriebat, eoque consecutus est, ut morbos, quorum alii vel aspectum horrebant, ipse cum voluplate tractaret. *Vita*, lib. I, c. v.

S. Franciscus Borgia cum pestilens lues Romæ crudeliter grassaretur, mox socios ad Pontificem, et senatum romanum, qui periculum denuntiarent, ablegavit, effectique, ut agris egenis ex publico arario omnia darentur, et per socios in quindecim vicos vel regiones distributos, tam animis, quam corporibus optime prospiceretur. *Vit.*, l. III, c. vi.

P. Joannes Nunnus cum socio medicinae artem didicisset non alia de causa, quam ut ægrotis captivis mederi posset, quod et fecit, et si quos periculosius ægros advertit, in suam domum transtulit. Quod si vero etiam captivi quidam servi dominis suis ob morbos laborare non possent, ipse eorum vires supplebat; sæpeque de nocte collectas captivorum sordes exportabat. *Hist. soc.*, l. X, n. 226.

P. Franciscus Februires Fulde tanta charitate peste afflatis ministrabat, ut ægre ferret se ad collegium revocari. *Ann. Prorhen.*, 1597.

Coclitii cum quidam ex nostris rescivisset antrum quoddam esse terribili fetore afflatum, ubi homines aliquot peste correpti sine auxilio jacerent, ipse solus ingressus reperit magnum utriusque sexus numerum, alios super alios animam agentes, quos omnes tamen prius confessione expiavit. *Ann. Belg.*, 1597.

Franciscus a Villa Regali coadjutor et Angelopoli et in Mexico, pueros binos ob lue pestilentem et fetorem intolerabilem ab omnibus relictos, cum magno charitatis fervore adiit, et tam sollicitè in omnibus ministra-

vit, ut nihil desiderari amplius posset. *Ann. Mexic.* 1599.

P. Raymundus Verderius ingrante lue in Collegium Burdigalense, procumbens in faciem magno affectu rogavit Deum, ut aliorum exitum in suum caput converteret. Dixit, ægrotavit, obiit, reliquis omnibus salvis remanentibus. *Pro. Aqu.* 1544.

ALIA. — Easdem per artes animis curandis intendit Nonnius Barretus, quem apostolicæ virtutis nomine ab Ignatio commendatum, Abassinorum insulis Paulus III pontifex adornavit. Has priusquam indueret, Tituanu operosissima diu exercitus misericordia vel ipsam Arabum, Maurorumque inhumanitatem ineluctabili virtutum vi in sui venerationem compulerat. Tituanum oppidum in Tingitania est, ad Atlantis radices, captivorum christianorum ergastulis inflame. Eo captivis juvenis missus, miserorum animis corporibusque curandis constantissimam exercit diligentiam, ergastula foedis-simis obsessa sordibus quotidie invisere, sordes verrere, atque auferre inter mancipiorum prope dixerim strues, noctes agere, consolari, fidei, et christiani decoris admonere, agris adesse, lapsos a fide cautissime sublevare, medicum, chirurgum agere, sacramentis omnibus fovere, amare, animare Nonnio solemne fuit. Quod vero veterum ægrotum laudes, non immites domini ægros cogent ad labores, eorum opera dominis representabat. Quis crederet unum hominem in hostico, inter immanium barbarorum odia tantis laboribus parem? fuisse et hoc vilissimorum ac despiciatissimorum capitum causa? et hilarem adeo, letumque hæc inter egisset, ut apud Deum votis, litteris apud homines vitam, ut sibi in ea procuratione degere liceret, instantissime ageret? idque adeo sedulo, ut se in scribæ famulum ultro offerret, tantisque contentionibus instaret, quanta nonnisi captivi libertatem flagitent? lustrum unum integrum inter barbaros egit, magno virtutum omnium incremento, ut, habito censu, Æthiopicæ expeditioni capessendæ parem judicaret. *Jo. Rno.*, l. I, c. vii, n. 3, *ex nostris*.

Joannes Ledesma triginta totis annis, quibus Mexici Theologiam publice interpretatus est, hoc constantissime tenuit, ut ante prandium sportulas ad egentissimum quemque navicula vectus extra pomerium deferret, et nunquam tam sedulo in opere defec-tus. Immo ab hominibus ut miseriarum ple-

nissimis, ita sæpe humani moris vacuis contemptum habitus, vexatusque, non ideo cessavit. Agebat Indorum patronum apud iudices, si res ferret, pharmaca, vestes conquirebat, ut in uno hoc homine adversæ fortunæ cunjunctumque solatia miseri haberent. Accipis hic mihi heret animi, an per hæc ille divinitati contemplanda sese comparavit: an ab illa ad hæc ipsa descenderit. Ultrumque factum oportuit, recipiente se charitate. *Imo.*, n. 6.

De Petro Leone sic scribit P. Joannes Rho: vincet unius hominis industria multorum fidem, quæ nulli unquam cessit calamitati, sed præcipua illius laus circa victos damnatosque ad necem, quorum cum incolumitati, tum animorum salutis omni ope aderat, atque consilio. Et addictis quidem trecentis et novem ad supremum usque illorum verum ritum, inter fumesta stælitium atque carnificum ministeria intrepidus supremam attulit opem: vinetorum vero viginti millia, quod vix credibile videatur, per se, perque suos (nam sodalium, cæptis promovendis, piorum civium collegerat), consilio, gratia, pecuniis et vinculis exemit. O virum bono publico natum: quæ unquam oblivionis tenebræ nomen illud obruent, quod tam multas lucem attulit libertatis? Ergi Hispani homini statua potuit, glorioso addito titulo liberatoris. *Imo.*, n. 8.

Incomparabilem Joannis Pauli Alexii charitatem, terris tum Italiae, tum Indiæ ostendere tantummodo voluisse videtur Deus: neque enim pigra hæc abjectaque rerum pars tam promptæ, atque incitate virtutis sedes esse debuit. In ipsa India navigatione nescio quo casu excussum in vastum, agitatumque Oceanum, et nautica turba unum undis hauriri quum vidisset Alexius, rejecta tunica et ipse jam desiliat e navi opem laturus, et quamquam natandi non omnino imperitus, manifesto nihilominus periculo, nisi ab accurrentibus prohibitus, ac reprehensus fuisset, ac nautæ projectis funibus, quos comprehenderet, latum esset auxilium. Idem dum Goa in Monomotapan renavigat, facto naufragio, et per aquam pectore tenus evadentibus, quibus tantum erat virium, ut undis eluctari possent, infelicem nescio quem adolescentem, quem ægrum hauriri undis erat necesse, miseratione captus in humeros sustulit, perque instabiles arenas summo vix pectore Oceano extans, decem et octo millia passuum constantia animi,

corporisque labore pariter incredibili detulit. Hic vere mihi Christophorus fuisse videtur, qui Christum in uno ex suis minimis bajulans per medios fluctus, giganteæ plane charitatis mensuram implevit. *IBID.*, n. 9.

EXEMPLA PROFANA.

Hominum.

Apud Valerium Maximum in libro de Somniis, de Simonide poeta legitur, quod, cum navigando inventum ad litus cadaver aliquod sepulture mandasset, eidem in præmium hujus pietatis, in somno manifestatum fuit ne sequenti die se mari committeret; quod cum ille exequeretur, comites vero navigationis illum deriderent, hi in ejus conspectu dum a litore solvissent, a tempestate absorpti fuerunt. *VAL. MAX.*, t. I.

Aristoteles libro de Natura animalium refert, quod cum delphini pisces maris moriuntur, alii vivi conveniunt et eos in fundo maris sepeliunt. *MANSI, disc.* XXVII, n. 9.

In vitis Patrum dicit Hieronymus de monacho captivo, quod inter alias naturales proprietates fornicarum, quas mirabatur in solitudine, erat, quod cum una moreretur, aliæ conveniebant, et quasi cum celebri lectu mortua corpora deportabant, alia aliam volentem intrare non impediabat, sed sic cadebat sub onere, aliæ cadentem suis humeris sublevabant. *IBID.*

Exempla bestiarum.

Cum Zosimus, Maria Ægyptiaca mortua, nesciret quomodo foveam ad eam sepeliendam faceret, leo venit, et faciendam foveam ad eam sepeliendam, eum juvit.

Constat de S. Vincentio martyre, dum impius mandaverat tyrannus, ut ipsius corpus ferarum, aviumque prædæ expositum relinqueretur, corvo cuidam, ut idipsum rostro suo defenderet, præceptum fuisse. Quod ille mandatum optime executus, lupos etiam inde abegit. *IBID.*

Procopius refert, quod, dum exercitus Romanus Marcam pervageretur, incolæ per-

territi in latibulis se reconderint, aut fuga salutem sibi quaesierint: mulier vero quaedam gravida præ nimia formidine partum suum effuderit, eumque panno quidem involutum in aperto campo dereliquerit, accidit vero, quod dum pertransiens illic capra quaedam infantis illius audiret vagitum, cursum sistens, ubera eidem porrexerit, eumque non solum per aliquod temporis spatium lactaverit, verum etiam a canibus alisque animalibus defenderit, donec ab hominibus dictus infans exceptus, in securo positus esset. *PROCOPI., t. II, de bello Goth.*

Cum S. Antonius corpus S. Pauli Eremitæ sepelire vellet, nec sarculum haberet, duo leones rapido cursu accurrentes terram pedibus effodientes foveam paraverunt. Idem officium leo alius Zosimæ, S. Mariam Ægyptiacam sepelire volenti præstitit. *BÆV. Ro. 15 jan. Ser. tom. ix, 9 april.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut oliva, etsi large floreat si tamen immoderata stringatur nebula, fructum omnem disperdit jubet; ita qui tunc maxime misericors est, cum spectatores habet, vel ut habeat, fructum perdit ex nebula favoris. *S. GREG., l. XII Mor., c. XXVI.*

Sicut hi, qui ad magnos principatus accersiti, regias habitaturi civitates omnem substantiam suam in pecuniâ commutant, et sic illo migrant; ita plane et tunc faciunt homines illi ad cælum vocati, et ad supernam metropolim, et regnum, quod illic est. Nam persuasum habentes illic esse patriam, omni substantia sua in pecuniâ mutata, pecuniâ per apostolorum manus illic præmiserunt. *S. CHRYS., in illud: Ap. oportet hereses esse.*

Sicut in telis eadem vis ferri est, sed in infinitum refert, utrum excussu lacerto torqueantur, an remissa manu effluent; ita idem est, quod datur, sed interest, quomodo detur. *SENEC., l. II, de Bon., c. VI.*

Sicut quando scribis epistolam ad amicum semper vides in corde tuo personam amici, propter quem scribis epistolam; sic et qui propter Deum eleemosynam facit, neminem videt in corde suo, nisi personam Dei tantummodo, propter quem facit. *S. CHRYS., hom. XIII, Opor. imper.*

UTILITAS. — Sicut radix in pingui plantata solo, quæ nobis tempestivos quotannis affert fructus, sic pecunia in manibus pauperum plantata, et non solum in singulos annos, sed et in singulos dies spirituales nobis fructus affert, fiduciam scilicet in Deum peccatorum abscessum, conscientiam bonam, lætitiâ spirituales, spem jucundam, aliaque bona, quæ præparavit Deus diligentibus se. *S. CHRYS., hom. in illud: Oportet hereses esse.*

Sicut lavacro aquæ salutari gehennæ ignis extinguitur; ita eleemosynis atque operibus justis delictorum flamma sopitur, teste Ecclesiastico: Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccato. *S. CYPR., l. de Opera et Eleemos.*

Sicut frumentum in terra cadens lucrum projicienti parit; sic et panis in esurientem projectus multum tibi in posterum reddet utilitatem. *S. BASIL., hom. in Ditescentes.*

Sicut putei continuo exhausti copiosiores fluent aquæ, dimissi vero et quieti facile putent; ita opes reconditæ inutiles sunt, translate in pauperes fructum pariunt. *IB., hom. XIII, de Eleemosyna.*

Sicut Area Noe non permisit mergi Noe cum liberis; ita eleemosyna neminem æterno finit interire diluvis, quia, teste Tobia, «eleemosyna a morte liberat, et non patitur animam ire in tenebris.» *FAB., conc. in Dom. post Pent. 8, n. 3.*

Sicut speculum politum, et mundum tale se nobis exhibet, qualem nos ei stiterimus: ita Deus talem se nobis exhibet in munificentia, quales nos ipsi per misericordiam proximo propter ipsum exhibitam stiterimus. *BEYRLINCK, them. VI, in fest. Omn. SS.*

Sicut penula tauri ferocientis oculis objecta furorem ipsius deludit, et vitam servat: ita largitas eleemosynæ diaboli eludit insidias, et a morte æterna liberat. *STAPLETT., them. IV, in Do. A post Pent.*

Sicut medicamentum dum conficitur, multas quidem herbas accipit, sed unam dominantissimam; ita et in penitentia multæ quidem concurrunt virtutes, sed eleemosyna dominantior et potentior est, et universum quasi peccatorum medicamentum, ipsa efficit. *IBID., hom. IX, super Matth.*

Sicut si quisquam seni promitteret, se ipsum in ætatis florem reducturum, et super omnes prævalidum et speciosum redditurum, regnumque omni bonorum genere abundans possidendum daturum, libenter is on-

nes suas pecunias, et thesauros pro tali promissione offerret; ita cum hæc omnia Deus in altera vita multo perfectius se præstiturum eleemosynarum largitori promittat, minime sane tergiversabitur in iis faciendis, quisquis felicitatem suam sincere desiderat. *IBID., hom. LV.*

Sicut acceptis muneribus iudices non tam cito proferunt sententiam, sed potius partes, si possunt, concordare satagunt; ita Deus facit cum his, quorum munera dantur, pauperulis. *S. AUG., l. 146.*

Sicut iis, qui sanguine abundant, nisi mature partem sanguinis per phlebotomiam emittant, in manifestam vitæ periculum incidunt; ita divites, nisi partem divitiarum a se dimittant, et pauperibus largiantur, periculum æternæ mortis incurrendæ subeunt.

Sicut ad loca munitiora festinantius migrant, qui ruinam domus vident, contritis parietibus imminere; ita corda Christiana, quanto magis sentiunt ruinam hujus mundi crebescentibus tribulationibus propinquare, tanto magis debent bona, quæ in terra recondere disponebant, in thesaurum celestem impigra celeritate transferre. *S. AUG., ep. CXXXVII.*

DIGNITAS. — Sicut aquila pullos suos ad radium solis explorat, eosque solos retinet ac fovet, quos fixis oculis solem intueri advertit; ita Deus homines, secundum misericordie merita examinat, eosque solos electis suis annumerat quos constanter in misericordie operibus exercitatos fuisse cognoscit; nam qui sequitur justitiam, et misericordiam, invenit vitam, justitiam, et gloriam teste Salomone. *BEYRLINCK, them. IV, in fest. Sanct. Matth.*

ÆQUITAS. — Sicut qui in hortum ea lege admissus esset, ut intra illum quidem pomis quantum plauerit, vescatur, nullum tamen secum exportet, haud dubie interdum aliquod poma extra hortum proiceret, ut ea post exitum inveniret; ita cum in hunc mundum admissus, nihil nobiscum exportaturi simus, merito per eleemosynas in hac vita factas aliqua bona opera præmittimus. *THOM. MORUS, VII., c. XII.*

Sicut ii, qui in carcere positi sunt, stulle agerent, si pecuniis ad se redimendos parcerent, ut liberos ditarent; ita non minus imprudenter agunt divites, si pecunias pauperibus elargiri tergiversentur, ut filios divites efficiant. *STAPLETT., them. IV, Dom. A post Pent.*

Sicut qui littore consistunt, et alios cum fluctibus luctari advertunt, æquum putant, ut omnem, quam possent, illis opem impendant; ita merito idipsum facit, qui proximum cum egestate colloctantem advertit. S. BASIL., hom. de Gr. actione.

JUCUNDITAS. — Sicut agricolæ penu sumum evacuant, et semina terræ concredunt, idque cum voluntate faciunt, spe majora recipiendi se solantes; ita multo magis nos, quæ absque usu recondita sunt, dispergere in pauperum usum convenit. S. CHRYS., hom. LV, in Gen.

Sicut ei qui nimio gravatus est cibo, aut stomachum multis humoribus repletum habet, nihil gratius jucundiusque accidit, quam si per medicinam aut aliud remedium evacuat stomachum, malique causam tollere queat; ita qui immoderata opum coarctatione animam gravavit, merito cum voluptate elemosynam arripit, si dictas divitias, velut omnis mali originem per eam a se removere queat. IER.

Sicut ii qui ludunt aleis vel chartis, cum summa animi voluptate lusum talem peragunt, idque tanto ardentius et avidius, quanto meliorem spem lucri conceperunt; ita qui celestium bonorum luero inhiant tanto alacrius jucundiusque pecunias suas exponunt pauperibus, quanto certiores securioresque sunt, se ingens per hanc expositionem lucrum facturos. MATTH., XII, 40.

MOTIVA.

Quia quidquid pauperibus datur, Christo offertur, juxta propriam ipsius confessionem: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus minimis meis, mihi fecistis. Hinc recte S. Cyprianus: Quid potuit nobis majus Christus edicere? quod modo magis potuit justitiæ, ac misericordiæ nostræ opera provocare, quam quod præstari sibi dixit, quidquid egenti præstatur et pauperi? et se dixit offendi, nisi egenti præstetur et pauperi, ut qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur, et qui non cogitat in labore atque egestate conservum vel Dominum, cogitet in illo ipso, quem despicit, constitutum. Misereantur itaque pauperum, inquit S. Leo, qui sibi volunt placere Christum, Faciles sint in alimenta miserorum, qui cupiunt ad

societatem pervenire fidelium. Non sit vilis homini homo, nec in quoquam despiciatur illa natura, quam rerum Conditor suam fecit. Cui enim laborantium licet negare, quod Christus sibi profittere impendi? juratur conservus, et gratiam refert Dominus. Cibus egeni, regni celestis est pretium, et largitor temporalium, hæres efficitur æternorum.

Quia Deus liberalitate sua nos provocat: nam, ut bene S. Chrysostomus advertit, ipse nec unigenito suo peperit propter nos: nos autem et pecuniis parcimus contra nos. Ipse et legitimum pro nobis Filium tradidit, nos vero nec argentum propter eum contemnimus, sed neque propter nos. Et qualiter hæc venia fuerint digna? quid itaque differet et torpes cum jam tanta percepisset, et tot expectes? Quod ipsum confirmat egregie S. Leo dum ait: Nihil est dignius, quam ut homo sit sui Auctoris imitator, et secundum modum suæ facultatis divini sit operis executor; nam cum aluntur esurientes, vestiuntur nudi, foventur infirmi, nonne auxilium Dei manus explet ministri, et benignitas servi munus est Domini? S. CHRYS., hom. XXXII et XXXIII, ad Pop.

Quia natura ipsa nobis misericordiam ingeneravit: nam, ut recte dicit S. Chrysostomus, nemo natura strenuus est: nemo natura vanæ gloriæ studio caret: nemo natura zelo atque æmulatione superior est: misereri vero natura est omnibus inditum, utat crudelis quispiam sit et immittis. S. CHRYS., in ep. ad Philipp.

Quia ipsa qualitas bonorum nos ad misericordiam impellit: nam ut sapienter discurrit S. Chrysostomus, tuarum es, o homo, pecuniarum dispensator non minus, quam qui Ecclesiæ bona dispensat. Sicut ille igitur potestatem non habet, ea, quæ propter pauperes a vobis erogantur, temere, et ut casu evenit, dispergendi, quoniam ad pauperum data sunt alimentum, ita neque tu tua. Hinc merito S. Bernardus: Ne putes, ait, gratuitum, quod impendis pauperi; velis, nobis, debitor es. S. CHRYS., hom. XXXIV, ad pop. Ant.

Quia ipsa natura elemosynæ commendat misericordiam: dum quidquid per eam pauperi damus, Deus ut depositum accipit, ut pulchre Sanctus Chrysostomus indicavit, dum dixit: Quid quæris homo, ubi pecuniam deponas? Christus suscipere paratus est, et deposita tibi servare: nec tantum servare, sed etiam

multiplicare, et cum fœnore multo reddere. Pro pecuniâ tuâ custodia non repetit mercedem, sed eam ipse reddit. Qua igitur summis excusatione digni, qua venia, quando custodire valentem, et pro custodia gratias habentem, et pro ea præmia reddentem, præterimus, et nostra tradimus custodi debili, qui gratiam se facere putat, si nihil commissorum intervertat. S. CHRYS., h. II.

Quia qualitas et conditio accipientium id suadet: sunt enim pauperes, fratres nostri, et cohæredes regni celestis, ut sapienter advertit Guilielmus Lincolnensis, dum ait: Dic mihi quæso, o dives, quare pauper tecum non accipiet cibum, qui tecum accepturus est regnum? quare non accipiet veterem tunicam qui tecum accepturus est immortalitatis stolam? quare pauper non meretur accipere panem tum qui tecum meruit accipere Baptismi Sacramentum? cur indignus sit accipere reliquias ciborum, qui tecum venturus est ad convivium Angelorum? sunt præterea etiam stipendiarii nostri, ut illos vocitare solitus est Ludovicus Rex Franciæ, et propterea propria manu elemosynam velut stipendium illis obtulit. GUL. LINCOLN., in Expos. Ev., p. III, c. XXXVIII. Hinc recte Sanctus Chrysostomus, sunt, inquit, et hic castra pauperum et bellum, in quo pro te pauperes pugnent. Cum enim stipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium, propitium autem facientes demonum insidias repellunt, neque sinunt vehementer infestum esse malignum, neque semper irruere, sed ipsius solvunt potestatem. Hos itaque conspiciens milites quotidie pro te cum diabolo precibus et orationibus pugnant, a temetipso pulchrum illud tributum exige, illorum alimenta. S. CHRYS., h. XXXIII, ad Pop.

Quia misericordia est optimum medium ad benedictionem in temporalibus obtinendam: uti pulchre indicat Sanctus Cyprianus, dum ait: Si vereris, et metuis, ne si operari plurimum coperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad penuriam forte redigaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus; finiri non potest, unde in usus Christi impenditur unde opus celeste celebratur. Nec hoc tibi de meo spondeo, sed de S. Scripturarum fide, et divinæ pollicitationis auctoritate promitto. Loquitur per Salomonem Spiritus Sanctus, et dicit: Qui dat pauperibus, nunquam egebit: qui autem avertit oculos suum, in magna penuria erit, PROV., XXVIII, 27.

Imo hanc ipsam ob causam usuræ comparant SS. Patres, præcipue S. Chrysostomus, dum ait: Usura mundi est, centum accipere et unum pro censu reddere. Deus unum accipit et centum reddit. Et tamen homines cum Deo volunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione solliciti? quare? homo homini exiguae chartule obligatione constringitur, Deus tot, et tantis voluminibus cavet, et debitor non tenetur? S. CHRYS., serm. XXV. Ut autem melius intelligatur qualitas hujus usuræ, præclare eam explicat Sanctus Chrysostomus, dum ait: Deo feneratus es, ipsum repose. Sed non in presenti enucta tibi restituit. Verum hoc quoque commodo tuo facit. Est quippe talis hic debitor, qui non ut alii, festinet ipsum tantummodo mutuo datum exolvere, sed agit omnia, ut, quod datum est, maneat in tuto. Propterea hic quidem reddit ex parte maximumque autem tibi in futurum thesaurum reservat. S. CHRYS., t. II, in cap. v Matth.

Quia efficacissimum est medium ad peccata delenda: nam misericordia, et veritate redimitur iniquitas, teste Salomone. PROV., XVI, 6. Certe non est peccatum, inquit Sanctus Chrysostomus, quod non possit purgare elemosyna, quodve non possit extinguere. Omne peccatum infra illam stat. Remedium est ad omne vulnus utile. Omnis injustitiæ fomes est avaritiâ; sed hanc omnem abluunt elemosyna Zachæus. Magna ergo (recte exclamat Sanctus Ambrosius) est elemosyna, quæ ardentium criminum globos benevolentia suæ fonte refrigerat, et quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum ut quamvis offensus Deus, quamvis criminibus provocatus, cogatur liberare elemosynam, dispoſuerat punire peccatis. Cogitur quem enim a nobis quodammodo, dum compellitur pro nostris actibus mutare sententiam, et in uno eodemque homine nunc severitate Judicis permoveri, nunc Patris pietate blandiri. S. AMBR., serm. XV. Quam autem facilis, et suavis sit hæc medicina, pulchre declarat Sanctus Chrysostomus sic loquens: Neque vero medicus quisquam ferro, manuve admotis sic accurate putrida vulnera secat, ut pauper egenam manu porrecta slipem flagitando vulnere cicatrice tollit. Et quod mirum, citra dolorem, citra suspirium pulcherrimam conferunt medicinam. S. CHRYS., hom. XX, in I ad Cor.

Quia certissimum est medium ad felicem mor-

tem obtinendam : teste sancto Hieronymo dicente : Non memini me legisse, mala morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit; habet enim multos intercessores, et impossibile est, multorum preces non exaudiri. S. HIER. in Ep. ad Nepot. Aliam rationem assignat Sanctus Augustinus, dum ait: Misericordia ad Deum deducit hominem, et ad hominem deducit Deum; nunquam vidi hominem pium mala morte finire. S. AUG. s. XLIV, ad FF. in er.

Quia est fortissimum scutum adversus severam iudicis sententiam in die iudicii ferendam : eleemosyna quippe, teste Sancto Augustino, adstat tribunali non tantum patrocinans, sed et ipsi iudici persuadens, ut reo patrocinium præstet, et pro eo sententiam ferat. Hinc Cæsarius, eleemosynam, inquit, quantum possumus, et quamdiu vivimus, et ipsi habere, et aliis impendere festinamus, ut securi possimus in die iudicii dicere : Da, Domine, quia dedimus; nos fecimus, quod iussisti : tu imple, quod promisisti. Certe tanti aestimabitur (tunc) vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, perinde ac omnes it, qui dextra iudicis consistent, non alia virtute nota, quam misericordia fulsissent inelyti; ii, qui sinistra stabunt, ullo alio vitio laborassent, quam immisericordia; ut recte S. Leo pronuntiavit. CÆSARIUS, hom. xv. Quapropter Sanctus Ambrosius his verbis excitat ad misericordiam : Considera, quanta tibi tunc erit gloria, cum te omnis populus, qui ex promptuariis tuis pastus est, et relictus, pro tribunali magni illius, et iustissimi iudicis caterva constipante circumdabit, et pastorem te suum, ac tutorem pium, et misericordem patrem, omni gratiarum voce testabitur. S. LEO OPUD DREX, Gazoph., p. I, c. 1, § 1. S. AMBR., serm. LXXXI.

Quia unum est ex certioribus signis predestinationis ad vitam æternam : misericordia quippe testabitur, inquit Anselmus, vos Dei sapientia præcognitis, a massa perditorum separatos, ad vitam æternam præordinatos. S. ANSELM in illud Apost. : Induite viscera, etc. Idem confirmat S. Chrysostomus, dum ait : Si tanta vis est eleemosynæ, cum multa fiducia suos introducit alumnos : etenim cœli nota janitoribus, sponsalis thalami fores observantibus, quin et venerabilis, et quos sui cultores agnoverit, cum multa introducet libertate, et nemo contra-

dicet, sed omnes cedent. Hinc alibi hortatur in hæc verba : In ædificia cœlestia studeamus nostras evacuare pecunias : nec fabricis, nec structoribus, nec operariis opus habemus : manus namque pauperum tales domos ædificent : claudi, cæci, vel debiles sunt isti, qui domos illas ædificant. S. CHRYS., h. XXXVI, ad Pop. Antioch.

Quia singularem efficaciam orationi tribuit : nam efficacissima est, teste S. Leone, ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur. Qui sum ab inope non avertit animum, facile, et cito ad se Domini convertet auditum. S. LEO, ser. de Jejunio decimi mensis. Hinc Tobias senior juniori præcepit : Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. TOB., iv, v. 7.

MEDIA.

Zelus divini honoris : qui enim honorat servum propter dominum, non illum, sed principaliter dominum honorat; omnis enim honor, obsequium, et beneficium impensum servo, indesinenter ipsi domino principaliter exhibetur, sicut ipse testatur Mat., xxv : « Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. » BELLOVAC, Spec. mor., dist. XX, c. iv.

Exemplum Dei ob oculos habere : uti Bellovacensis suavit his verbis : Deus, qui summe misericors est, et super omnia vult de misericordia prædicari, ad misericordiam nos invitans semetipsum proponit in exemplar evidentissimum, veracissimum, et perfectissimum, per quod habeamus doctrinaliter informari : per quod habeamus deformiter transformari. Ait enim Luca, ix. « Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. » BELLOVAC., Spec. mor., l. I, dist. x.

Christum in pauperibus intueri : uti S. Bonaventura suavit, sic alloquens animam : Cur anima tota die anxiaris post Christum? indicabo tibi, quem diligit anima tua. Certe in infirmitate jacet, et tibi angustiat, curre, et sibi ministra, sibi compatore infirmanti. At vero, inquit fortasse, quomodo id Seraphicus asserere poterat, quando Christus ad dextram Patris sedens, impassibilis est, nec ulli infirmitati humanæ subjectus? Et ideo respondeo, quod Evangelium nos fal-

lere non possit, in quo dicitur : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis : infirmus eram, et visitastis me; » hæc enim est Dei erga nos bonitas; ut in quolibet afflicto et infirmo, ipsemet agnosci velit. Et assentiens Sanctus Augustinus : ostendam sane, inquit, quomodo Dominus possit inveniri, aut cognosci, si tamen est animus videndi. Si vis videre Dominum, require mendicum, respice ad pauperem, suscipe peregrinum, visita infirmum, curre ad carcerem; si vis videre Deum, vincula captivitatis absolute, nodos iniquitatis incide. S. AUG., de Bon. disc., c. viii. Denique idipsum etiam suo calculo confirmans S. Chrysostomus super illa verba Actuum Apostolicorum XXI, 16. « Abducentes, apud quem hospitaremur, » inquit : Paulum hospitio suscepit ille : forsitan quis vestrum dicit : si quis et Paulum mihi daret hospitem, susciperem prompte, magnaue cum alacritate. Ecce Pauli Dominum licet tibi hospitio suscipere, et non vis? quia qui suscepit unum ex minimis, me suscipit. Quanto minor fuerit frater, qui suscipitur, hoc major Christus per illum adventit.

Quid ergo? Firmiter nimirum credamus, nos Deo dare, quicquid pauperibus dedimus; nam, ut recte advertit S. Ambrosius, ubi est misericordia largior, ubi est fides promptior. S. AMB., de Offic. Quod ipsum confirmat S. Leo, dicens : Prompta ergo, et facilis, dilectissimi, apud nos largitas esse debet, si credimus unumquemque id sibi præstare, quod indigentibus tribuit. Thesaurum enim suum condit in celo, qui Christum pascit in paupere. S. LEO, l. I, de Collect.

Magnam æstimationem de hac virtute concipere, id quod non erit difficile, si motiva præcedenti paragrapho allata bene perpendantur.

Aliena damna vel commoda tua æstimare : nam ut recte S. Bonaventura notat : Misericordia est virtus, per quam animus super calamitatem afflictorum movetur. Hæc virtus nihil humanum a se alienum putat, aliorum damna, vel commoda sua æstimat. Hic namque est proprius charitatis effectus, quod aliorum miseriae ut proprias reputet. Idem Seraphicus Doctor alibi misericordiam et charitatem simul conjungit, dicens : Misericordia abundanter remuneratur : unde notat, quod duæ virtutes valde copiosæ et plenæ veniunt ad iudicium, propter quod

TOMUS III.

recipiunt salarium valde copiosum, scilicet charitas et misericordia : charitas enim aliena bona facit sua, juxta illud Psalmi : Particeps ego sum omnium timentium te; misericordia facit aliena mala sua, juxta illud : Sicut socii passionum ita et consolationum. S. BONAV. S. Bernardinus Jobi exemplum adducit, qui cap. xxx, 25, ait : « Elebam quondam super eo, qui afflictus erat, » scilicet afflictione exteriori, « et compatiebar animam pauperi, » scilicet compassione interiori, quasi dicat : Non tantum ostendebam compassionem vehementiorem, sed etiam interiori, quia ex vehementi affectu compatiebar. Amor igitur non solum per compassionem internam demonstratur, verum etiam per subsidium externum, siquidem ut diximus : Probatio dilectionis exhibitio est operis. S. BENN. S. Gregorius glossando verba illa Jobi : Pater eram pauperum, inquit : Non patronum se vel proximum, vel adjutorem pauperum, sed patrem fuisse testatur, quia nimirum magno charitatis officio studium misericordiae vertit in affectum naturæ, ut eos quasi filios cerneret per amorem, quibus quasi pater præerat per protectionem. S. GREG.

Proximum tanquam fratrem et membrum considerare : ita suavit S. Gregorius Nazianzenus, dum dixit : O Serve Dei, et Christi, atque hominum amore prædite, ne fratrem despicias, ne prætereas; ne ut scelus, ut piaculum, ut aliud quiddam fugiendum, et interdictum averseris; membrum tuum est, licet calamitate frangatur. Tibi, licet animo forti prætereas, pauper relictus est ut Deo : his enim verbis pudor te fortasse promovebo. S. GREG. NAZ., in Orat. de Paup. amore.

Patria cœlestis desiderium ardens concipere : sic enim hoc ipso et opes nostras et thesauros pro pauperum manus præmittendos excitabimur. Ita S. Chrysostomus suavit, dicens : Omnia faciamus, ne alibi simus egeni. Nam quæ utilitas in aliena regione nullas divitias relinquere, in patria necessariis carere? itaque, oro, festinamus, dum adhuc tempus est. Secure illic transferimus, et in thesauro inde prædabili reponimus, quæcumque per pauperum manus præmittimus. S. CHRYS., h. XLIX, in cap. xxv Gen.

Quotidie aliquid sive ex pecuniis, sive ex alimentis in pauperum usum seponere, ut paulatim etiam ad largiores eleemosynas incite-